



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 43. De Tertio verbo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)

lus, ut tempore passionis, quo nullam neque diuinam neque humanam volebat admittere consolationē, hoc tamen solatij sibi seruarit, ut peccatorem vuum conuerteret. Itaque si rem gratam Domino præstare volumus, omnibus viribus cum ipso laboremus in reuocandis ad salutem peccatoribus.



MEDITATIO XLIII.

DE TERTIO VERBO

AD MATREM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Stabat iuxta crucem mater eius, cū Maria Cleopha & Magdalena. Ioan. 19.*
- II. *IESVS videns Matrem cum Ioanne ait: Mulier ecce filius tuus.*
- III. *Deinde Discipulo: Ecce Mater tua; & ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.*

F I G V R A.

NOemi vidua mortis inter Moabitas filijs suis, rediit in patriam Bethleē. Cum autem salutaretur ab aliis mulieribus, respondit: Nolite me vocare Noemi, id est, pulchram; sed vocate me Ma-

O s ra, id.

ra, id est, amaram quia : amaritudine re-
pleuit me vehementer Dominus.

PROPHETIA.

Luc. 2.

ECCE positus est hic in ruinam & in re-
surrectionem multorum in Israel , & in
signum cui contradicetur , & tuam ipsius a-
nimam pertransibit gladius.

DOCUMENTA.

1. **M**ARIA & Ioannes, qui apud Christum
primi erant in amore , stabant ad pe-
dem crucis non sedebant. Saluti ne-
quaquam sufficit propè crucem Christi esse , &
ocium agere, non nostræ negligentia somnum
dormire ; sed necesse est stare erectos , & pu-
gnare aduersum tentationes, aliis auxilio esse,
& Christum in rebus asperis preferendis imi-
tari.


2. Si Christi charitatem imitari volumus,
hominum misericordum & afflictorum misere-
ri debemus, quod si aliud non licet , adiuuan-
di saltem sunt precibus, consilio, commenda-
tione ad eos , qui solatio aut auxilio pos-
sint.

3. Matrem Virginem Ioanni Virgini com-
mendat Christus. Ne speremus assecuturos
nos intimam illam deuotionem erga Domi-
nam nostram , neque dignos futuros tali Ma-
tre, nisi puritatis amantes simus.

4. Si sub Ioannis nomine omnes nos filios,
dedit Matri suæ : par est ut eam amemus , eiq;
ut obedientes filii seruiamus : ad ipsam ut ad
veram matrem confugientes , in tentationi-
bus & angustis rebus.

5. Chri-

5. Christus in cruce alloquens Matrem, non Matrem sed mulierem vocat. Ut doceret religiosos qui mundo mortui, cum Christo crucifixi sunt per obedientiam, obliuisci debere in terra Patrem & Matrem.
6. Si semel concessam ad tempus nobis gratiam deinde subtrahat Deus, non decet se querelis & morositati dare, neq; cessare a servitio & honore ipsius quietos, sed Matrem filio orbata potius imitari.
2. Non commendat matrem suam Ioanni Christus, cùni ab illa discederet primùm ad mortem, ne quidem in vltima cœna; sed cum ambo adstarent ad crucem. Cum enim ex amicis ei vellet illam tradere, qui esset certissimus, tum clare cognitum est, Ioannem esse fidem in amicitia, cum omnibus turpi fuga lapsis, solus repertus est Ioannes, qui vna cum matre sub cruce adstaret. Veros amicos & seruos Christi crux discernit, id est, tentationum & tribulationum tempus tum qui constantiam seruant, nec à recto discedunt, illi demum veri sunt amici Christi, & filii Matri ipsius.



MEDITATIO XXXIV. DE QVARTO VERBO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Ab hora 6. vsque ad 9. factæ sunt tembrae super terram. Mat. 27
- II. Circa 9. Iesus voce magna clamauit: Mar. 15.
Luc. 23.

O 6 Heli,